

Mauri Pisini

Itali Arretini

Carmina quaedam arcana



Hoc nunc

Urbs tota imbre madet: lassi striat umbra vehicli
urbem autumnalem, dum vector percutit aequor
desertum asphalti, vel ubi mala spina diei
reddit visible, actutum, quod non patet. Inde,
is, celer, exsuperat platanos, quas currere credit,
et, dum pergit iners, oculos attollit, ut ipsi
currant ad nubes quas ventus turgidus inflat
ac simul umectat calidis cum flatibus. Esse
solus in imbre, cavens nictus nutusque pharorum
opposito qui proveniunt e tramite, sensim
suadet ei tremitum cordis, dein, pectore pulsus
acceleratque in anhelitu habet, quasi imagine captus
illius vitae quam numquam vixit, at in qua est,
dum pluviis agitur lychnis clausisque tabernis.
Tum, foliis gradiens, terit ipsa sub orbe rotarum
seque in eis lacerat nec iam vult protinus isto
tempore uti autumni quod nil *nihilum* esse revelat
ac morte usque alitur, quod in atra silentia vertit
motorum strepitus, voces hominumque chimaeras
in quibus obtundi est male maesta et amara voluptas.

Mei indagine satiatus

Quae sum quaeque fero, dum lapsa in imagine pauso
ipse mei, sunt vita prior transacta per umbras,
quas aluit taeter mortis singultus et, in me,
nil retinent quod forte et pulchrum e sorte supersit
dira. Nunc, res illae abeunt, vel corde vaporant,
haud secus e pedibus foliorum fragmina: virga
mi patet esse manus qua mortua pello, per ulnas
denique procurrunt ipsorum vermina, casus,
unde pati didici, ut post menda incauta crearem,
demum, alias vitae sintaxim et robur amandi.



Mirum sane desiderium

Res-non-res cupio dicere tactiles
et sentire in eis meum
cor, dum sulcat iter temporis: hoc mihi
dat, fors, vivere amoribus
per quos ipse mihi concito gaudii
quantum vult animus pati,
dum mens, maesta, alibi queritat exitum
fati quod nequit insequi,
sed pervertit iners, ut ruat, aut ferat
quae vis cruda agit in lutum.



Provocatio

Post hoc taetrum aevum, vitiorum glutine stratum,
nec non mendaci virtute probrosa tegente,
nunc, missis scrupis, opus est exire sepulcris
in quibus inviti, vel non, concessimus omnes
et iam vivimus, heu, miseri: fiducia nobis
nulla est quae recreet motus per compita mentis,
sanet, item, penitus spasmos, aut ulcera carnis,
sed maneat, saltem, sinceri pectoris ardor,
vivere ne pigeat, pigeat ne fidere amori
quem raro cupimus firmis accingere nervis.



Recedentis hiemis indicium

Sub nivium cumulis iam sol quoque solvitur ipse
atque in iisdem animat puros celeresque liquores
qui, ante crocos Paschae, minus algida gramina reddunt.



Uvae

Iam lux tersa acini maturat in ore ruborem,
inde, mihi tepidas, dum pauso, glutinat horas
queis venit autumnus, dein, latus finis horizon:
omnis enim tremor in foliis mutatur in echon
tactilem aquae, frenatur ubi praesentia solis
lucis ob esuriem. Mors est, fortasse, quietis
qua gavisus eram, ruris dominante calore,
unde cicada dabat sua murmura praedita rhythmis
raris, ultra oleas: radiis immersus adultis,
at non ignitis, voces reminiscor earum.



Ver modo initum

Quo vis ire potes. Comitatur vis nova gressus
inter macerias quae firmant compita ruris,
primo vere: levis, sub luminis halitum, in agris,
frumento madidis, vibrat aura coloribus, herba,
arida quae fuerat, nunc, sponte repullulat, inde,
exspectat quid Aprilis agat, dum dona viroris
campis fert: glycinum ramis cerno undique gemmas,
pollinis unde crocus spiris extollitur aureis,
his simul expertus quid sit sentire temorem
post hiemis fera frigora, post, nive protinus actos,
tres menses. Tum, laetus iens, mea rura reviso
nec patior sensus restingui posse, resurgit
mi zephyrus: sensim, larvis de corde repulsis,
lux nitet ipsa novis fulgoribus atque, vagando,
me circum, ceu flamma, ruit, sub vespere, savium
est calidum solis, merulae cui murmura tendunt
per cerasos, flores liquidos super ipsa serentes.
Cur, igitur, taceam? Iam me mala taedia linquunt
et mala visa animi: fugio, spe vindice, mortem,
tantum viva petens, animi nec proelia quaero.